



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvací, 1625**

De laude Dei in omni opere bono. XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

congaudet proximo in bono, contrastatur de malo; subuenit in necessarijs, orat pro delictis, indulget offendis, miseretur infirmis, consultit meliora errantibus. Bona & perfecta voluntas habet Deum semper præ oculis, & cupit soli Deo placere in bonis operibus & cogitationibus suis; aliorum profectum corde & ore amat, & suum reputat; propriam voluntatem citò abiicit, laudem spernit, reputari subterfugit: omnia enim vana reputat, que à Deo retrahunt, & in infimis delestantur.

3. O frater paupercule, infime, & despecte, noli deficere in tribulatione & dolore; quia probaris cum Christo in cruce, & cum martyribus in clausura & carcere. Sustine ergo modicum patienter & libenter, qui non potes multa ferre gaudenter, sicut multi sancti fecerunt. Fer saltem pauca levia verba, qui non vales pati dura verbera. Sustine tu pro Christo aliqua tibi grauia, quando tam multi seculares sustinent pro mundo grauiora sine numero. Noli perdere meritum tuum per impatientiam, qui omni die & hora potes promerer per piam sufferentiam, regnum Dei & ternam gloriam. In tribulatione & dolore, statue ante te passionem Iesu Christi, & feres leuius omne grave, quod te premit.

4. Nemo est in mundo, cui non occurrit aliquid contrarium, in corpore vel in animo. Nullus sine labore & dolore sub celo, unusquisque sibiipso onus est & passio, siue solus sit, siue cum alio, in otio vel negotio. Necessaria ergo gratia Dei, & magna patientia intus & extra, tanquam scutum bonæ voluntatis, contra inimici iacula, & carnis vitia, & mudi blandimenta. Indue armaturam Christi serue Dei, & certa, ut bonus & fidelis miles, crucifixo firmiter adhaerendo. Tota vita Christi crux fuit, sic & tua erit. Ipse enim dicit: Qui vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur Lucas 9.

## C A P V T XI.

## De laude Dei in omni opere bono.

I. **A**uda anima mea Dominum. Omnia bona fac ad laudem Psal. 145.

Dei, & quandocumque aliqua bona cogitas, loqueris, & operaris, dic in fine: Deo laus, Deo gratia. Quia sine Deo & gratia eius, nil boni potes perficere, nec incipere: nec bene, recte, & virtuosè consummare. Deus omnis boni initium & finis, dat & reperit, quod dedit. Recedat ergo superbia, iactantia, & vana gloria; veniat & intret humilis oratio, deuota meditatio, gratiarum actio, & vox laudis omni tempore.

2. Quomodo potest aliquis venire ad puritatem & pacem cordis? Audi breuiter, & serua versum istum in psalmo: Declina à ma-

lo,

T t 3

*Psal. 23.*

*lo, & fac bonum.* Custodi cor tuum à malis phantasijs, os tuum  
verbis nocivis, manus tuas ab actibus illicitis. Ecce hic homo ac-  
cipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo sal-  
tari suo. Cogita ergo semper bona, loquere semper bona, agere  
per bona; & erit in pace vita tua, cum conscientia bona. Pax om-  
ni bono, humili, mansueto, simplici, omnibus renuncianti, & vi-  
que ad mortem obedienti. Væ omni malo, iniquo & doloſo, per-  
uerso, superbo, inobedienti, nemini plus quam sibi nocenti.

## C A P V T XII.

*De vito vana gloria, & propria complacentia.**Luca 12.*

**N**olite in sublime tolli, ait humilis Iesus. Non ergo vanè glo-  
rieris terra vilis & cinis in teipso, cum bene tibi fuerit ne-  
scis enim quid futura pariet dies si stabis an corrues. Dicit beatus  
Paulus ad Romanos: *Noli altum sapere, sed time.* Noli superbire in  
bono, ne cadas in malo. Deus enim superbis resistit, tam Angelis  
quam hominibus superbientibus, & de scipsis præsumentibus, &  
sibi complacentibus. Heu, superbìa infidiatur omnibus, prælati  
& subditis, secularibus & religiosis. Superbia morbus valde con-  
tagiosus, citò inficit cor hominis: tentat castos & devotos, iustos  
& innocentes, doctos & potentes.

*Prov. 29.*

**2.** Quis ergo gloriabitur castum se habere cor inter homines,  
vt viuat ab omni malitia purus? Verè nullus. O Deus, tu solus sal-  
ves, tu solus Dominus, tu solus altissimus Iesu Christe. Tu ante  
omnes, & inter omnes Angelos & sanctos, benedictus es in secula.  
Oro itaque Domine Deus, sana anima meam, quia peccavi tibi.  
Cor mundum crea in me, & omnes iniquitates meas dele; vt sim to-  
tus purus, totus tuus, tibi placitus & acceptus. Mihi autem vilis &  
abiecius in oculis meis, vt inueniam gratiam & misericordiam co-  
ram te & omnibus sanctis tuis, nunc & semper, p[re]c[er]e Iesu Christo.

## C A P V T XIII.

*De varijs bellis impiorum, & patientiis piorum.**Psal. 34.*

**E**xpagna impugnantes me, quoniam multi bellates aduersum mihi.  
Patientia ergo est tibi necessaria, & præcipue gratia Dei  
confortans te, intus & extra, in omni loco & tempore. Multa sunt  
bella in mundo, multus labor & dolor sub caelo, sed non in caelo.  
Et quis enumeret omnia mala mundi, & occulta iudicia Dei?  
Quis nisi Deus solus, index, iustus, fortis & patiens, hominum  
malitiam vincens, lucens & pluens super bonos & malos? Non  
est, qui se abscondat à calore & notitia eius, & possit præterire iu-  
dicium

*Psal. 55.*